



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Apotheca Spiritvalivm Pharmacorvm Contra Lvem  
Contagiosam Aliosqve Morbos**

**Wichmans, Augustin**

**Antverpiae, 1626**

Quinto Kalend. Aprilis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9653**

nitricis virginitatem impugnantes, ab eadem candidissima veste in Ecclesia fuisse donatum. Instituit verò in honorem Virginis Annuntiatæ nouum Ordinem B. Ioanna Ludouici II. filia, & Ludouici XII. Regum Galliæ repudiata vxor anno 1501. quem iam toto Catholico Belgio feliciter dispersum videmus; habuitque primum hīc Monasterium Bethuniæ in Artesia, ab Isabella principe d' Espinoy anno 1517. ædificatum.

*Quinto Kalend. Aprilis.*

28.

Martij.  
Vide in.  
cap. 8. t.  
Apoth.  
Spir. fol.  
64.

Cabilone in Gallijs S. Guntramni Regis Franciæ, qui spiritualibus actionibus ita se mancipauit, ut relictis sæculi pompis, thesauros suos pauperibus & Ecclesiæ erogaret.

**I**Ta Martyrolog Roman. ex Gregorio Turonensi l. 76. de gloria Martyrum: qui insuper multa sparsim de eo refert, in historia Francorum, vt l. 9. c. 21. & l. 4. c. 24. ex quibus nos quædam superius in Apotheca narrauimus, ac potissimum, quomodo Massiliam à lue inguinaria largissimis eleemosynis suis, tamquam rex: tamquam sacerdos verò, indictis publicis rogationibus, alijsque pietatis operibus, liberauerit tamquam sacerdos, inquam; quia vt bene Constantinus Magnus: *Reges extra fines Ecclesia, Episcopi esse debent.* neque enim solùm ciuilem politiam, sed & Ecclesiasticam procurare debet; atque in hac alios tantum præcedere pietatis operibus, quantum iisdem præminent dignitatum titulis. nam:

*Regis ad exemplum totus componitur orbis.*

Testimonio nobis erit sola Anglia, quæ ante infaustum illud scisma, sub Henrico Octavo Catholico, Catholica mansit. eo deficiente, deficit ipsa pariter, & in heresim prolapsa est. Successit postea Maria, Regina piissima, & cum hac, denudauitam Religionem recepit Anglia. qua mortua, veterosam hereseos, qua se expoliauerat, tunicam reassumpsit, & lotos Christi Sacramentis pedes, rursus coinquinavit. quos utinam aliquando abluant, eum rogo, qui hodie in Jordane, dum hæc scribo, à Baptista suo dignatus est baptizari. Sanè quid  
vnius

vnius principis possit apud subditos pietas, docuerunt nos olim Constantini, Theodosij, Tiberij, Honorij, Stephani, Ethelredi, & non pauci hodie, in Orbe nuper noto, Reges.

*A boue maiori, dicit arare minor.*

Et si forte prius ex timore: superueniens tamen postea amor, hunc expellit; & voluntarium facit, quidquid ante erat minus tale.

Moritur autem S. Gumtramnus, iuxta Sigeberti calculum, anno Christi 597. sepultus in Basilica S. Marcelli, quam in suburbano Cabillonensi erexerat. Estque Cabillonum, vel Cabullinum, & nunc Catalaunum, oppidum Heduorum, inter Celtas ad ripas Araris fluuij, Matisconæ finitimum, in prouincia Lugduensi, Ducatu Burgundiæ, & Francorum regno situm, vulgo, Chalons sur la saone. ita Catolus Stephanus in dictio Geographico.

## A P R I L I S.

Octauo Idus Aprilis.

6.  
April.

Constantinopoli B. Lutychij eiusdem ciuitatis vide cap.  
Episcopi, qui apud Deum pro commissione sibi <sup>25. Apot.</sup> Spir. fol.  
grege intercedendo, a grassante contagione cum <sup>142.</sup>  
suis precibus liberauit.

**P**lura his similia exempla in Apotheca mea sparsim protuli, è quibus patet quām grata & efficax sit apud Deum superiorum pro subditis deprecatio, cum eam sic Deus soleat exaudire. Et certè teneri superiores Ecclesiasticos, etiam extra casum huiusmodi necessitatis, pro suis subditis quandoque orare, patet ex Concilio Trident: Præcepto diuino omnibus qui animatum cu- <sup>Sess. 23.</sup> ram gerunt mandatum est, pro suis ouibus sacrificium offerre. Vnde de refor- quidam probabiliter deduci putant, Missam parochiale in festis <sup>c. 1.</sup> & Dominicis diebus, debere per Pastorem aut alium pro populo fieri. Quod an de primario sacrificij fructu intelligendum veniat, ut hic scilicet subditis applicari debeat, vide Suarez & Regium in tract. de Sacrificio Missæ. Certius est, cum saepius teneri pro eis orare & quandoque sacrificare, nam ut inquit Apostolus: *Omnis Pontifex ex Heb. 5. homi-*

C.